

qd' dicitur **D**e ali' iudiciis eubordiani. i. dicitur
 con' d' d'one p'rig' ubi xpi est **D**e pane q' p'm
 p'm' d' d'one participio corpus d'ni est.
 qm' unus panis et un' corpus multi sum' d'
 omnes qui de uno pane & de uno calice partici-
 pant **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 abut' hostias participes s' d' d'one **Q**uod dicitur
 duo. qd' dicitur **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 dicitur sic aliquis **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 d' d'one p'molant' **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 vob' facite fieri demonior' **Q**uod dicitur
 d' d'one h' d' d'one d' d'one **Q**uod dicitur
 testis mensis d' d'one participes **Q**uod dicitur
 demonior' **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 factionis ille sum' d' **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 omnia d' d'one **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 sunt **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
Quod dicitur **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 hui' interrogat'one p'prie conscientia **Q**uod dicitur
 team & plenitud' eius **Q**uod dicitur **Q**uod dicitur
 infidelium ad com' et vultus n' om' qd' vobis

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xd. 28,

Institutionum Anatomicarum
DISPUTATIO XVI.
De
ARTUBUS.


Quam
D. O. M. A.
SVB PRÆSIDIO

TOBIÆ KNOBLOCHII,
Marcobrettani Fr., Med. & Phil.D.

*In celeberrima Witebergensium Academia
defendendam suscipiet*

Tobias Bohemus
Hippolytanus Austriac.

Ad diem 9. Decemb. horis & loco notis.



VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.
Anno c17 17 CVII.



Illustrib. ac Generosiss. Dnn.

Dn.

I O A N N I

Et Dn.

R E I C H A R D O

â BUCHAIMB L.B. fratrib.

Dn. in Horn & VVildtperg.

Cæsar. Maj. Dapiferis hæredita-
rijs, &c.

*Mecœnatibus ac Dominis suis Cle-
mentissimis.*

Hanc de Artibus $\Delta\acute{\alpha}\sigma\mu\epsilon\psi\iota\nu$ in debitæ
gratitudinis $\tau\epsilon\kappa\mu\acute{\eta}\rho\iota\omicron\nu$ submissè

exhibet & offert

Tobias Bohemus Resp.



De Artubus.

PXpositis tribus hisce corporis humani regionibus, ordo postulat, ut ad artus sive extrema accedamus, quæ sunt processus totius corporis maximi, suntq; duplices, superiores & manus, inferiores & pedes dicuntur.

De Manu.

Manus est totum illud, quod à scapula ad digitorum usque summitatem protenditur.

Dividitur in humerum, cubitum & manum supremam. Humerus est pars brachij à trunco corporis ad cubiti, flexuram, pertingens, cuius regio summa sursum protuberans ἀκρόμιον Cavitatis verò subtus pilosa axilla dicitur. Cubitus est pars brachij inferior à flexu usq; ad manus juncturam. Manus suprema est pars brachij, quæ à cubito extremo incipiens, ad apices usq; digitorum abit, estq; organum ac instrumentum apprehensionis, & dividitur in brachiale, post brachiale & digitos. Totius manus partes etiam duplices sunt, continentes & contentæ. Continentes sunt communes & propriae. Communes sunt cutis pinguedo cum sua membrana, panniculus carnosus: Propria est musculorum membrana. Contentæ sunt Musculi, vasa & ossa. Hac vice musculos duntaxat examinabimus, de reliquis partibus partim egimus, partim agendum restat.

De Musculis.

Etsi minus rectè musculi capitis, cervicis, scapulae & dorsi huc referantur: attamen cum administrandi methodum servemus, illarumq; partium musculi rectè demonstrari nequeant, nisi prius brachij musculi removeantur, idcirco prædictos musculos præmittimus, quibus enarratis reliquos manus musculos quoq; prosequemur.

De Musculis Humeri seu Brachij.

Brachium sursum deorsum ad latera & in gyrum beneficio septem musculorum movetur, quorum alij thoraci, alij verò scapulae adnati sunt. De quibus jam agemus.

Primus musculus (Vesal. Columb. Fallop. 1.) pectoralis dicitur à situ, quia anteriorem thoracis partem occupat, & exoritur à clavicula media, sterno ferè toto, cartilaginibus sexta, septima, & octava costae, membranoso, nervoso, & lato principio, mox paulatim crassior carnosiorq; redditus sensim coarctatur, & forti ac quasi reduplicato tendine in brachios inter Deltoidem & bicipitem musculum inseritur, & axilla cavitatem relinquit. Hic pro diversitate villorum, quorum alij ex superioribus; obliquè deorsum producantur, sursum, deorsum & rectè brachium movet, semper tamen antrosum.

Secundus musculus (Ves. Fallop. Columb. 2. à forma quam habet Deltoides, & humeralis Laurentio dicitur, quod minori humeri capiti insternatur, & aliquando contegat. Hic ex claviculae media parte, & tota scapulae spinâ oritur, sensimq; gracilescit, & validissimo tendine in mediâ fere humeri partē inseritur, & fibris anterioribus in se collectis brachium sursum ad anteriora; posterioribus verò ad posteriora versus occiput, medijs verò aequaliter contractis sursum movet.

Ter-

Tertius est Aniscalptor (Ves. Columb. Fall. 4.) qui & dorsalis maximus dicitur, quod totum ferè dorsum integat: oritur à spinis ossis sacri lumborum, & novem thoracis Laur: principio lato, eoq; nerveo, nec non à superiore ossis Ilei parte: dein ascendens carnosus ad scapulae basin (cui etiam fibris quibusdam annectitur) & robusto & quasi reflexo tendine infra humeri caput intrinsecus inseritur. Hic musculus, quia fibras alias longas & minus obliquas, aliàs breviores & minus transversas, ideò prout hæ colliguntur, brachium vel minus vel magis, sursum vel deorsum dorsum versus movetur.

Quartus est rotundus maior, (Ves. Columb. Fall. tertius) qui parte posteriore sub axilla obliquè situs est, & ab inferiore Omoplatae costa exoritur, & tendine brevi, lato, valido, & membranoso & nervoso in humeri superiorem & interiorem partem inseritur, & brachium retro deorsum trahit.

Quintus super scapularis inferior dicitur (Ves. Fall. septimus, Columb. sextus, quibusdam infra spinatus) quia scapulae exteriorem & gibbam partem totam tegit, à scapulae basi oritur & amplo tendine ligamento humeri inseritur; cuius usus est brachium circumagere.

Sextus, Rotundus minor sive super scapularis (Ves. Fallop. Columb. quintus) quia supra axillam fertur huius usus est, brachium circumagere.

Septimus super scapularis (Ves. Fallop. 6. Columb. 7.) situs ipsius est, inter costas & scapulam: Usus huiuscum priori idem est.

Ultimò humerus habet & ligamenta 5. quorum usus est 1. humerum ne deorsum & extrorsum suo sede excidat, custodire. 2. Ne humerus in anteriora laxetur, impedire.

De Musculis scapulae.

Scapulae sibi Omoplatae musculos in orbem moventes quod attinet, quatuor sunt (secundum Ves. Columb. Fallop. in

humano corpore propter quatuor motus, Bauhin. Galen. 7.
Sylvium 5.

1. Serratus minor dicitur (Fallop. primus Col. secundus) ortum habet à quinq; costis superioribus, & costis inseritur. Usus huius est, scapulam antrorsum movere.

2. Cucullaris est sic (Ves. Fall. 2. Col. 1.) cum suo pari simul consideratus Monachorum cuculla per commodè comparari potest, ut vult Columb. Gal. 4. adm. anat. Trapezium vocat, ab occipitio & spinis Vertebrarum Colli ac thoracis superioribus exoritur, in scapula spinam & summum humerum nervosus & carnosus implantatur hic musculus ratione diversorum fibrarum generum diversos edit motus, scapulam enim nunc sursum, nunc deorsum, nunc ad dorsum trahit. (Columb. l. 5. c. 15.)

3. Sub hoc latitat latus & carnosus musculus, Rhomboides à figura dictus (Ves. Fall. Columb. 4.) fibris suis obliquis scapulae inseritur, quam etiam sursum ad posteriora trahit, & dorso applicat.

4. Levator (Ves. Fall. 3.) carnosus descendit & in superiorem & inferiorem scapulae partem (ut rectè Columb. putat) inseritur, quam ob causam etiam à natura genitus fuit, ut sc. scapulam attollat.

De Musculis Thoracis seu respirationis.

Thorax musculos 65. obtinet. Utrinq; 32. sc. intercostales 22. Abdominis utrinq; 5. Unum communem, videlicet Diaphragma, de quibus supra, & utrinq; sex ipsi proprios, de quibus nunc dicendum.

1. Subclavius (Ves. Columb. Fallop. 1.) inferiori & exteriori claviculae regione secundum ipsius longitudinem, qua primam recipit costam, inseritur: sic quia fibras impensè obli-
quas,

quas & propemodum transversas obtinet, primas costas versus exteriora retrahit, & thoracem dilatat.

2. Serratus (Ves. Columb. Fallop. 2.) carnosus principio ex tota scapularum basi enascitur. Deinde costis aliquot sese inserit. Usus huius est costas extra trahere & thoracem dilatare.

3. Serratus posticus superior (Ves. Columb. Fallop. 3.) sub Rhomboide situs ex trium inferiorum Cervicis, vertebrarum ac primae thoracis vertebra spinis membraneo & lato exoritur principio, ac deinde primo caput moventium musculorum pari, item dorsum & thoracem moventibus musculis instratus in priora declivis exporrigitur carneus evadens, lati musculi naturam ostendens: deinde ubi primam thoracis costam contingit, sensim obliquus ductus in tres veluti digitos tripartitur, costis quoque sese inserens. Huius beneficio thorax attollitur & distenditur.

4. Serratus posticus inferior (Ves. Fallop. 5. Columb. 4.) in posteriori thoracis sede secundum inferiora collocatur, originem membraneam, latamque ducit ex undecima, aliquando decima thoracis vertebrarum spinis, principium hoc musculis dorsum agentibus supersternitur transversim recte in priora porrectum. Ubi autem hos transcendit & costarum ossibus committitur, statim carneis adaugetur fibris, & tandem veluti in aliquot divisus digitos, costis etiam sese aliquot inserit. Usus huius est, costas quibus inseritur retrahere & thoracem distendere.

5. Sacrolumbus (Ves. Fallop. 4. Columb. 5.) carnosus originem suam ducit ex posteriori ossis sacri regione, inferiori ilium ossis sede dorsum musculis circa infimam thoracis vertebra immixtus mox ab ijs ad costas secedens, tenuis costarum radicibus inseritur, quas deorsum trahendo thoracem constringit.

6. Triangularis (Ves. Columb. & Fallop. 6.) ex longissimis lateribus, & uno brevi constructus, omni parte carnosus, adnascitur quidem omnibus verarum costarum cartilaginibus illas ad pectoris os in sinus nimirum, quibus illae inarticulatim attra-

hens,

hens, & eo motu thoracem arctans sive constringens, & costarum cartilagine invicem colligens.

De Musculis capitis.

Caput dupliciter movetur, primario & secundo. Primario cum dicimus, intelligimus de motu cum prima secundaq; vertebra: Secundo vero, cum toto collo. Motus autem capitis tres sunt: unus ante & retrò; alter ad latera: Tertius cum id circumagunt, si motus omnes beneficio 4. utrinq; septem musculorum perficiuntur.

1. Vocatur splenius carnosus (Ves. Columb. Fall. primum par.) originem trahit, à quinq; superiore vertebrarum thoracis, & quatuor colli spinis, & oblique versus occipitium incedit, ubi desinit inter posteriorem partem & aures. Usus huius est caput in latus circulariter vertere.

2. Complexus (Ves. Col. Fallop. secundum par) varius est, & quasi ex quinq; Columb. quatuor Bauhin. musculis compositus, oritur ex transversis processibus vertebrarum superiorum thoracis, vertebraq; septimæ colli, & in medium occiput carnosus inseritur. Munus, huius est, caput ad posteriorem partem trahere, & libet nonnulli statuunt, unum duntaxat ex his caput circulariter movere: tamen putamus hoc intelligendum esse de superioribus.

3. Non admodum magnus sed gracilis (Ves. Columb. Fallop. tertium par) oritur à spina secunda Vertebra Cervicis, & in occiput desinit. Usus huius est caput ad posteriora trahere.

4. Est etiam non magnus (Ves. Fall. Columb. quartum par.) qui à parte posteriore primæ vertebrae sub tertio prodit. Usus huius cum priore idem est.

5. Obliquus superior (Ves. & Fall. quintum, Col. sextum par) foras carnosus è medio occipitio oritur, & in apicem processus

cessus transversi prima vertebra cervicis inseritur. Munus huius est caput partim in latus, partim in gyrum movere.

6. Obliquus inferior (Vesal. & Fallop. sextum, Col. quintum par) à spina secunda colli vertebra exoritur, ubi sc. prior inseritur, & quia quasi transversus musculus est, triangulum cum superioribus duobus efficit. Hic, caput cum vertebra colli, secunda sc. & tertia, caput circumagit.

7. Mastoideus (Septimum p. Vesal. Col. & Fall.) satis longus, latus, teres & nervosus & validus. & à summo ster- no vel pectore oritur, & in processum mammillarem obliquè carnosus inseritur, ibi caput in latus movet, & cum suo socio in primum fle- dit. Musculos colli sive cervicis quod attinet, de his supra dictum est.

De Musculis Dorfi.

Quoniam dorsum quadruplici motu, antrosum, retrosum, ad latera & circulariter movetur, uti in saltatoribus quibusdam videmus, quatuor etiam ab Anatomicis utring, musculi demonstrantur & exponuntur.

1. Quadratus (quintum par Vesal. primum par Col.) à cavitate posteriore ossis ilij & superioris ossis sacri latius, & carnosus exoritur: ab interno autem latere transversis omnium quinq; lumborum, vertebrarum processibus secundum ipsius longitudi- nem ab interna sede inseritur lateribus etiam vertebrarum, unde nervi primum emergunt, applantatur. Munus huius est dorsum flectere: si verò unus agat, corpus obliquè movere.

2. Musculus est omnium longissimus (Semispinatus quibusdam dictus (sextum par dorfi Vesal. secundum Colum. secundum par lumborum Sylvio) ab infima ossis sacri sede, ad primam usq; thoracis vertebra exporrigitur transversis omni- bus thoracis vertebrarum processibus innixus, quibus singulis ex interna sede tendinem exporrigit. Huius ope thoracem, lumbos re-

rectâ ac etiam in latera extendit. Nam si ambo aequè contrahantur, tota pars cui inseruntur in neutrum latus vergens extenditur; si alter tantum protendatur in ipsius latus, spina involvitur. Columb. universum dorsum & caput ad posteriora flectunt.

3. Sacer musculus 'his subiectus (septimum par dorsi Ves. tertium Columbo, tertium lumborum Sylvio) ab illa ossis sacri sede principium ducit, quæ ab ipsius spina ad connexum eius cum Ilium osse pertinet. Hinc ad transversum quintæ lumborum vertebra processum ducit, & illic à transversis reliquarum vertebrarum processibus initium ducens ad undecimam (Ves.) vel duodecimam (Bauh.) usq; thoracis vertebra spinam conscendit. Huius sicut & alterius fibrae ut vult Ves. ab inferioribus sursum versus inferiora obliquè assurgunt, & ex inferiorum vertebrarum transversis processibus, & spinarum radicibus enata, in totam superiorum vertebrarum in posteriori sede amplitudinem perpetuò se inserunt. Quo fit, ut ambobus contractis musculis, tota illa spina pars cui committuntur appositissimè extendatur, altero verò in se tantum collecto, in obliquum collecti pars contrahatur.

4. Semispinatus (octavum par dorsi Ves. Archan. quartum Columbo) ab Undecima Ves. duodecima Columbo. & Bauh. thoracis vertebra ad primam ipsius usq; protenditur totam spinarum amplitudinem, quæ ab ipsarum radice ad apicem usq; consistit amplexans.

Huius functio potissima est spinas quibus inseritur mutuo colligere, eam dorsi partem cui adnascitur reliquis musculis extendere. Vesal. Col. lib. 4. Bauh. lib. 4.

De Musculis cubiti.

Cubitus

Cubitus quia duplici motu movetur, duo etiam genera musculorum obtinet, primum genus continet flectentes, secundum extendentes.

Flectentium duo sunt 1. Biceps dicitur (cubitum flectentium anteriorem Ves.) Germani vocant Die Maus / quia principio gemino & validissimo invicem tamen distante, quorum alterum nerveum est, ac teres, ab acetabulo scapulae. Alterum nerveum & carnosum ab Ancyroide scapulae processum exoritur, quae unita, paulò infra, musculum crassum, validum, lividum, ac ferè teretem, fibrisque rectis donatum, constituunt, cuius portio carnosa. (hæc portio aliquibus humeri seu brachij octavus musculus vocatur, ut Arantio) in ossis brachij medium ad eius elevationem inseritur, qui tendine nervoso in inferiorem radium inseritur, ut cubitum cum sequenti flectat. Columb, lib. 5. cap. 32. Bauhin. lib. 4. cap. 11.

2. Flectentium, Brachia dicitur (cubitum flectentium posterior Ves.) oritur ab osse humeri carnosus totus, fibrisque carnosus rectis sub priore latitat, carnosus in cubitum & radium antè insigitur? Usus huius cum priori idem est.

3. Extendentium Primus longus est, per humeri posteriora partim carnosus, partim fibris rectis donatus defertur, & cum suo tendine carnosus in ωλέκρον tendit.

4. Extendentium 2dus brevis est, exit à cervice humeri, posterior nervosus, cui etiam adheret & cum precedenti admodum unitur, adeò ut ad insertionem nullo modo separari possit, sicq; unus musculus videatur. Usus horum musculorum duorum est cubitum rectè flectere. Ves. lib. 2. Fallop. in instit. Columb. l. 15. Bauh. lib. 4.

De Musculis manus extremæ.

Musculorum extremae manus 40. sunt; carpi sive brachialis 4. radij quatuor, volentium 2. Aliquando digitorum 4. 29. quorum Alij flectentes: alij extendentes sunt: illorum 9. horum 20. sunt, flectentium duo, quatuor digitos, reliqui septem, pollicem flectunt. Extendentium 16. digitos quatuor v. reliqui pollicem extendunt, idq; vel simpliciter extendendo, vel abducendo, quorum tendines in ^{capit. ossis movere} articulum infiguntur. Sed 1. de ^{masco} palmarum cum is inter secundum primo occurrat, agemus.

Palmaris itaq; musculus (Columb. primus musculus inferior manus) est nervosus & teres, inferioribus musculis manus substratus, ab apice interni tuberculi humeri oritur, & cuti manus ad digitorum apicem fibrosis nexibus subnascitur, ut cutem in apprehensione rerum firmiter corrugat. Deinde circa lunam montem, ubi carpi ossiculum octavum sedem habet, oritur quaedam caro, quae duorum, aliquando etiam trium tenuium musculorum formam sive figuram refert. Munus huius carnis est, in magnis volae contractionibus, lunam montem ad manum contrahere, Columb. lib. 5. scribit, Latrones & fures hoc musculo plerumq; carere, quod Patavij, Pisis, & Romae observavit.

De Musculis Digitorum quatuor flectentibus.

Flectentium primus (primus digitorum moventes Vesal. & Fallop. Quartus manus interior musculus Columb. Laurent. sublimis) ab osse interno humeri tuberculo nervosus enascitur & ad carpum in 4. tendines, tanquam habenas dividitur, si validissimo & transverso ligamento annuli instar coeunt, & in secundam quatuor digitorum articulationem inseruntur facillioris motus gratia. Secundus (Vesal. & Fallop. secundus quintus manus inferior musculus Columb. Laurent. profundus) priori subiectus & multo validior ab eodem loco exoritur, & in totidem tendines

dines nervosos & perforantes scinditur, ut eò commodius digitos flectat.

Flectentium 3. 4. 5. 6. (quatuor ultimi digitorum muscoli Ves. & Fallop. quatuor extremæ manus muscoli Columbo.) sunt muscoli carnosus, teretes, oblongi, tendinibus secundi Musculi sublimis sc. subjacent, qui nervoso tendine parvo quatuor digitorum, primo internodio motus causa inseruntur.

Musculorum pollicem flectentium 6. sunt: 1. Carnosus (tertius digitum movens Ves. Fallop. sextus manus interior musculus Columbo) ab ulna incipit, & tendine suo ligamentoso in tertium pollicis articulum flectendum inseritur.

Secundus (12. seu primus pollicis Ves. quartus Fall. 9. extremæ manus musculus Columbo) à carpi ligamento carneus exoritur, & in tertium pollicis articulum inseritur.

Tertius (13. seu 2. pollicis Ves. 5. Fall.) ab eodem loco oritur, & prædicto subjacet, & in medium primi ossis pollicis inseritur: hi duo muscoli primum internodium flectunt.

Quartus & Quintus sunt muscoli carnosus ab osse Metacarpij ortum ducentes.

Sextus ab osse metacarpij annularem fulciete oritur & eodẽ loco ubi prior exoritur. Hi muscoli tres si simul agant, internodium secundum flectunt: Si verò primus tantum agat, pollex versus indicem: Si secundus ad medios digitos: si tertius deorsum versus minimum digitum movetur.

De Musculis extendentibus

4. digitos.

Extendentium 1. Carnosus (17. digit. motor. Ves. 9. Fallop. 1. manus externus musculus, Col.) ab externo humeri tuberculo oritur, ad carpum in tres vel 4. tendines rotundos, validos, membrana colligatos dividitur, qui digitis, ut extendantur, inseruntur.

B 3

Secun-

Secundus gracilis (19. Ves. 10. Fall. 2. manus exterior Columbo) ab eodem emergit tuberculo, ac secundum cubiti longitudinem inter primum defertur, & in duos nervosos tendines dividitur, qui ad digitos minimum & annularem mittuntur, quorum beneficio illi extendantur: minimus verò à reliquis abducatur.

Tertius prædictis duobus subijcitur (19. Ves. 11. Fall. 3. manus exterior Col.) & à cubito medio ubi linea oblonga & aspera pro muscoli exortum excurrit (ut Col. vult) exactè carnosus enatus ad radicem obliquè descendit, in duos tendines dividitur, quorum superior ad indicem: Inferior ad medium mittitur; si ambo agant, digitos hosce extendunt; si verò inferior tantum, extendendo digitos à pollice abducit.

Quartus brevis & validus est (20. Ves. 12. Fallop. 6. extre- mæ manus Columb.) à quarto carpi osse carnosus enascitur, & minimi digiti lateri gracilis, & nervosus, ut ipsum extendendo ab alijs abducatur, inseritur.

Musculos pollicem extendentes quod attinet, horum 4. sunt (21. Ves. 10. Fallop. 4. manus exterior Columb.) primus in exteriore sede Ulnæ, à membrana enascitur, & in pollicem inseritur, ut eum extendendo abducatur.

Secundus ab eodem loco carnosus oritur (22. Ves. 14. Fallop. 5. manus exterior Columb.) & in duas partes inferiorem & superiorem dividitur: superior in tendinem ossis carpi desinit; Inferior rursus in alias carneas partes subdividitur, quorum altera radici primi pollicis internodij; altera secundo & tertio ossi pollicis inseritur, ut pollicem quoq; extendendo abducatur, ut Bauh. placet.

Tertius ab osse Carpi (23. Ves. 5. Fallop. 7. Columb.) pollicis subiecto oritur, & in pollicis primum internodium inseritur, ut eum abducatur.

Quartus carnosus, ab osse metacarpij indici subiecto enascitur & in primum pollicis internodium inseritur, ut pollicem adducat (24. Ves. 16. Fall. 1. 3. Columb.)

De Musculis Metacarpij, Carpi & Radij.

1. Metacarpij musculos quod attinet, horum 8. sunt, & ab ossibus postbrachialis exoriuntur (Ves. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. digitorum, octo postremi extremæ manus Columb.) illisque adherent, & in quatuor primos articulos digitorum inseruntur, ut manum extendant.

2. Musculi Carpi duplices sunt, interni & externi: illi sunt flectentes; hi extendentes. Flectentium duo sunt: unus superior; alter inferior: hic (brachiale movens Ves. 2. inferior ipsius manus Columb.) ab inferiore humeri tuberculo exoritur, & in os quartum Carpi tendine quodam implantatur; ille verò superior (2. brachial: move. Ves. 3. inferior ipsius manus Col.) sc. & ab eodem tuberculo quidem prodit, verum obliquè in radicem ossis metacarpij indici præposito inseritur. Hi musculi si simul agant, flectunt corpus; si verò unus tantum, obliquè movent.

Extendentium etiam duo sunt: 1. inferior (Ves. brachial: mov. 6. exterior manus Col.) à radice externi tuberculi humeri oritur, & in os metacarpij tendine tereti, nerveo, & valido inseritur. 2. ab eodem loco pronascitur. (4. brachial: mov. Ves. exter. Columb.) qui bicornis dicitur ob duplicem tendinem, quorum alter in Metacarpij os, primum indici, alter in secundum, Medio subiecto inseritur. Usus horum duorum musculorum est, 1. Si simul agant, manum extendunt; si verò unus tantum, manus vario modo movetur, nunc obliquè, nunc ad latera.

3. Musculi Radij etiam sunt duplices: interni & externi: illi pronatores; hi verò supinatores vocantur.

Supinatorum primus longior (radij Ves. Fallop. g. exterior manus Columb.) à superiore sive externo humeri tuberculo nascitur, & radij appendici tendine inseritur. Secundus brevior (4. radij Ves. 9. exterior manus Columb.) à posteriore Ulnæ processu

cessu prodit, & in medium radium obliquè immittitur. Hi muscoli duo radium supinum reddunt, moventq; radium exterius. Columb. d. 1.

Pronatorum 1. seu Quadratus (15. radij Ves. & 8. inferior manus Columb.) à cubito carnosus & carneus, item in radium tendine membranoso transversim inseritur. 2. Rotundus (3. radij Ves. & Fall. 7. inferior manus Columb.) ab interno humeri tuberculo & interiori cubito obliquus rapit, & in medium nervosus inseritur. Primus inferiorem, secundus superiorem radij partem introrsum trahit, manumq; pronam reddit.

De Venis, nervis, arterijs dictum, de ossibus dicendum restat.

De Pede.

PES est totum illud, quod à coxis ad extremitates pedū porrigitur, ambulandi & standi organum. dividitur autem in femur, crus, & pedem parvum.

Femur est superior pars à coxendice usq; ad genua extensa.

Crus est pars à genu ad pedem parvum protensa. Partes habet anticam & posticam: Externam & internam. Antica vocatur antitibiale; postica verò sura.

Pes parvus à maleolis incipit, & ad digitorum extremitates excurrit. Dividitur ratione ossium in calcem, quæ est os primum & eminent in posteriori pedis parte, quâ terram calcamus, ut talum, qui insistit cavitati calcis, cui annectitur cymba, tarsum qui quatuor constat ossibus & pedium, seu plantam ac ossa digitorum de quibus omnibus infrâ agemus.

Sunt autem partes pedis alia continentes; alia contentæ. Continentes communes sunt cuticula, cutis pinguedo, panniculus carnosus. Propria Bauhino dicitur membrana muscutorum: Contentæ sunt muscoli, vasa, Ossa.

De Tibiæ Musculis.

Musculi

Musculi Tibiae triplices sunt: flectentes, extendentes & obliquè extrorsum movens unus: flectentium 5. sunt: Extendentium 4.

Flectentium primus (1. Ves. Col. & Fall.) longissimus, vulgò sutorius dictus nervosus & carnosus, ab interiore appendice ossis Ilij exoritur, obliquè per femoris interiora defertur, & tendine suo in tibiae interne sub genu inseritur.

Secundus tibiae musculus introrsus & amplius est, ab anteriore parte ossis pubis, sive ob externo femoris capite enatus, deorsum carnosus fertur omni ex parte primo musculo similis, fit teres apud internum femoris caput, sicuti & tereti tendine in tibiae inseritur.

Tertius musculus tibiae ab infima coxendicis appendice nervosus enascitur. Deinde circa medium femur carnosus fit, & exacti musculi ventrem crassiusculum refert, & circa genu tendine suo tibiae anteriori inseritur.

Quartus Biceps dicitur (Ves. Fall. Col. 4.) satis magnus, & ab eodem loco oritur, cuius origo carnea & nervea est, per posteriora femoris defertur, & tendine propè genu insigni in os fibulae implantatur.

Quintus semimembraneus dicitur, exoritur ex appendice coxendicis nervosus: deinde in femore fit carnosus: tandem tereti tendine in internum tibiae inseritur.

Usus horum quinque musculorum est, ut calce in sursum in posteriora trahant, & pedem in posteriora reflectant.

1. Extendentium primus (6. Ves. Col. Fall.) seu membraneus à spina Ilij enascitur, tendine latissimo, membranoso, quo maiorem in toto corpore (ut Columb. vult.) non videbis, femoris musculos posteriores circumdat, in tibiae anteriori implantatur.

Secundus vastus (7. Ves. Col. Fall.) extremus vocatur à mole nomen habet, nervosus ab externo femore, seu ut Columb. vult, à magno trochantere oritur, quem etiam circumdat: deinde car-

C

nosus

nosus ad patellam usq; progreditur, eandemq; tendine membra-
noso complectitur.

Tertius vastus internus (8. Ves. Col. Fall.) Laurentio à
trochantere parvo & cruris osse subiecto oritur. Columb. à verti-
ce femoris & magno trochantere nervosus & crassissimus oritur:
circa patellam carnosus apparet, quam etiam valido tendine occu-
pat.

Quartus Rectus, qui Lacertæ formam refert, qui rectus ince-
dit ab anteriore parte ossis Ilij nerveo, & acuto principio, exoritur:
deindè fit carnosus & teres, & tendinæ longissimo, & fortissimo in
anteriorem tibiæ inseritur.

Ultimus musculus tibiæ extorsum movens Popliteus dicitur
(Col. 10.) sub poplite latitat, originem nerveam habet, & carno-
sus obliquè in posteriorem & interiorem tibiæ implantatur. Usus
huius est, tibiæ flecteret ut tradit Gal. vide Ves. l. 2. Fall. lib. 2.
Archang. lect. 9. Col. 15. Plat. in tab. & alios.

De Musculis femoris.

Musculi femoris triplices sunt: Extendentis flectentes, & cir-
cumagentes. Extendentium sunt 5. flectentium 3. circum-
agentium etiam 3.

Extendentium primus (Ves. 1.) Gluteus major quia alte-
rius lateris natem ferè efformat, satis crassus, carnosus ab Ilij ap-
pendice osse sacro & coccyge exoritur, & tendine valido in mayo-
rem femoris processum inseritur.

Secundus (Ves. 2.) Primo similis, sub quo etiam latet, oritur
etiam à spina Ilij carnosus, & tendine valido & membraneo ma-
gno femoris processui implantatur.

Tertius (Ves. 3.) sub secundo latitat, oritur ab osse Ilij, & ten-
dine lato, magno trochanteri annectitur.

Horum trium musculorum munus est femur extendere, sur-
sum, attrahere, & ad exteriora ducere.

Quartus

Quartus Iliacus externus pyriformis oritur à tribus ossibus sacri ossis, carnosus, & quasi teres, tendine in apicem majoris trochanteris desinit, ut femur ad sese trahat, & eius circum actioni auxilio sit.

Quintus triceps (s. Vel. 8. Col.) vel ut vult Bauhinus quadriceps, quod triplici aut quatruplici principio sit donatus à coxendicis & pubis osse oritur, & tendine in caput femoris interius inseritur. Cuius usus est femur erigere, vel ut Bauhino placet, femur adducendo erigere, stabilire, alteri imponere.

Flectentium primus Lumbalis dicitur (6. Ves. & Fall. 5. Columb. Vocas vocarunt Hipp. & Gal.) teres quidem sed carnosus, crassus & validus: situs huius aliquo modo obliquus est, ab inferioribus thoracis & superioribus Lumborum Vertebrae oritur, & in minorem rotatorem valido tendine inseritur; Cuius munus est femur introrsum flectere.

Secundus est Iliacus internus (7. Ves. & Fall. 6. Col.) semicircularis, iste ab osse Ilij oritur, cuius cavitatem internam etiam occupat, & tendine rotundo in minorem rotatorem implantatur.

Tertius (8. Ves. & Fal. 7. Col.) ab osse pubis & coxendicis enascitur, & amplo tendine femori inseritur. Eius utilitas est femur unum versus aliud trahere, & femur femori superimponere.

Circumagentium primus (9. Ves. Fall. Col.) seu obturator externus sub priore latet, totum illud foramen occupat, quod in osse pubis & coxendice positum est exteriori in parte, transversim latus valido tendine in magni Rotatoris sinum implantatur, & id introrsum circumagit.

Secundus est obturator internus (10. Ves. Fall. Columb.) quia in parte interiore est, & foramen ossis & coxendicis occupat, & tendine nerveo composito ex tribus, quatuor, & etiam s. tendinibus in posteriorem magni processus sinum, ut circumagat, inseritur. Sed (quod pulcherrimum est) ne tendo hic le-
C 2 datur,

datur, ab ossis duritie natura prudentissima carneum marsupium paravit, in quo tendinem hunc collocat, ut docet Columb.

Ultimò Fallop. tertium circumagentem muscolum addit, qui à coxendicis parte posteriore satis carnosus & brevis oritur, valido & tereti tendine ad exteriorem femoris partem circumductus, femur circumagat: adhuc unum, quartum nimirum, vel secundum alios, duodecimum explicat, de quo lege in Obser. suis c. 43.

De Musculis Pedis.

Musculi pedis duplices sunt, extendentes & flectentes; illorum 5. horum 3. sunt.

Extendentium 1. & 2. seu Gastrocnemius internus & externus ab utroq; femoris capite exoriuntur: hi duo muscoli ventrem tibiae posterioriorem, id est, suram constituunt.

Tertius plantaris gracilis est, ut palmaris in manu, à capite externo femoris carnosus prodit, & tendine prolongo calcis interno inseritur, aliquando in planta totius cutem absimitur, ut volunt Laurent. & Bauhin.

Quartus soleus his subditus à posteriore parte sub appendice fibulae nascitur tendine crassissimo & validissimo (Ex tribus enim componitur) calcis posterius implantatur, ut pedem terrae firmans extendat. Et hoc tendine quotidie etiam videmus Lanios integra bruta suspensa in macello proponere. Damit die Ochsen werden aufgehengt/ wenn sie geschlacht sein.

Quintus posticus Tibialis inter fibulam & tibiae os situs, unde etiam originem ducit tendine nerveo in pedis inferiora, ut pedem introrsum trahat, inseritur.

Flectentium primus Tibialis (6. Ves. & Fall. 1. anterior pedis seu g. pedis Columb.) anticus in superiore tibiae processu oritur, tendine unico in Os pedis pollicis praeposito, inseritur, ut pedem flectat, & anteriùs sursum trahat.

Secundò

Secundò sunt duo Peronæi, quorum primus à fibula appendice carnosus & nervosus enascitur, & tendine longo in os pedij ad pollicem, nonnunquàm ad medium digitum inseritur. Secundus verò sub precedente latitat, à fibula oritur, tendine quodam in os pedij ad minimum digitum inseritur. Horum duorum musculorum munus est pedem extorsum ducere & flectere.

De Musculis Digitorum

Pedis.

Musculi pedis digitos moventes varij sunt: 1. duo extendentes primus (15. digit. pedi Ves. Fallop. 3. Columb.) ab externo tibiae ossis latere. ubi membraneum ligamentum tota tibia longitudine fibulam tibiae ossi colligens ab ipso educitur, exoritur.

Deinde deorsum protensus anteriorem tibiae ossis sedem adit, ac in tendinem desinit, & per pedis superiora ad pollicem prorepens toti ipsius longitudini inseritur. Cuius beneficio pollex ipse in neutrum latus insignitur, vergens extenditur.

Secundus 14. Ves. Fall. digit. pedis) ab osse tibiae, quâ fibula sub genu convertitur, nervum assumit principium, quod ab exortu recto tramite deorsum versus pedem ascendit, tantisperq; progreditur, dum transversim ligamentum à tibia in fibulam pronatam contingat. Ibidem enim in tendinem degenerat, qui per id ligamentum, veluti per annulum prorepit, in quo in quatuor alios scinditur tendines, qui per pedis superiora aequales angulos constituent ad quatuor digitos pertingunt, ac illorum longitudini ampliores facti inseruntur, & simul tres illorum articulos extendunt.

Secundò flectentium 3. sunt 1. (3. digit. Ves. & Fallop. 6. extremi pedis Columb.) in posteriorem tibiae sedem exprorrigitur ad internum latus respiciens, cum autem ad calcem ferè descendit, ab interno ipsius latere teretem promit tendinem, qui pedis inferiora subiens secundi sequentis extendentis musculi tendini

ad X. literæ imaginem subijcitur & dilatatur: deinde & in 4. alios dividitur tendines, singuli ad unum quatuor digitorum excurrentes, illisq; manus tendinibus respondentes, qui tertium quatuor digitorum articulum inflectunt.

Secundus (2. digit. Ves. Fall. 7. extr. pedis Columb.) à posteriore sede connexus, fibula ad tibiam enascitur, statim ab exortu carnosus latusq; versus tibiæ extremum prorepat, ac inde ad infimam tibiæ sedem descendens, ab interno ipsius latere teretem edit tendinem, qui pedis inferiora obliquè subiens, inter illos qui quatuor digitos pollicis adducunt, & eos qui primum digitorum articulum flectunt prorepens, ad pollicem tendit, & sub planta in duos dividitur tendines.

Tertius (1. digit. Ves. Fall. Columb.) ab interna calcis ossis sede & anteriore illis calcis tuberculi parte principium ducit. Cum verò mediam pedis longitudinem ad digitos repens superavit, in 4. carnosas dividitur particulas, quæ invicem deductæ unicuique singula producunt tendinem, ad sibi propositum digitum excurrentem. Horum beneficio secundum 4. digitorum flectimus articulum, cum rectâ linea ad calcem trahimus.

Abductorum primus (18. Ves. & Fall. 2. digit. Col.) in interno pedis latere secundum totam ipsius longitudinem protenditur. A Ligamentis enim calcem talo connectentibus, nervum assumit principium. Quod tandem crassius, carnosiusq; effectum, in teretem degenerat tendinem, externo lateri prioris pollicis articuli implantatum, cuius beneficio pollex ipse introrsum à ceteris digitis abducitur.

Adductor secundus inferior (17. digit. Ves. & Fall. 3. digit. Columb.) in externo pedis latere reponitur insignis utcumq; & ab externo latere calcis ossis enascitur. Priusquam verò ad primū parvi digiti articulum pertingat, in teretem finit tendinem externo lateri primi illius ossis insertum, ut ipsum abducatur.

Quatuor

Quatuor sequuntur Lumbricales (19. 20. 21. 22. digit. Ves.) à ligamentis osse tarsii posterioribus pedis ossibus in planta colligantibus tanquam in unum corpus enascuntur. Quod postea in 4. graciles diducitur musculos, qui interno quoque lateri 4. digitorum inseruntur.

Abductor digitorum superior (6. Ves. Fall. 18. ped. Col.) tanquam ampla moles carnea juxta latus tali, ubi calcis ossi os tessera referens coarticulatur, à quibusdam ibi ligamentis enascitur, quæ antorsum obliquè versus digitos porrecta in 4. tandem carnosas dirimitur partes, quæ singula ex se teretem efficiunt tendinem Quorum primus qui intimus est pollicis extremo lateri implantatur, Tertius verò medij digiti proprius est. Quartus annularis existit.

Horum usu 4. digiti illis donati exterius abducuntur.

Ultimò Inter ossei decem (Ves. in 3. & 4. locavit, inter 7. & 18. Col.) in homine illis ferè respondent, qui in extrema manu inter postbrachialis ossa reconduntur, verum in pede non ita exactè distingui queunt. Nam rudis indigestaque moles in planta conspicitur, quæ ad amussim carnea est, & fibris rectis interstincta: deinde secundum pedij longitudinem deducta in 5. digitorum radicem implantatur. Vtrinque ad primi internodij latus versus insertionem tentans. Hanc sanè molem in musculos proprios, quemadmodum in manu subdividere non possumus: Verum utcumque sit, non minus quàm in manu valida est, & primorum articulorum flexionem perficit. Ideoque propter obscuras impressiones & quandam cum manus musculis imaginem hic decem musculos quinque digitorum primis articulis inflexione famulantes, enumerare censemus, ut bini ad singulos digitos referantur.

Tantum breviter de Artubus.


Prima

Prima Figura.



*A. D. Monstrant musculos duos flectentes
colli & cervicis, columbo primum par
cervicis: Vesalio primum par dorsi.
1. 2. 3. 4. Corpora vertebrarum dorsi.*


Figura secunda.



*A. A. A. A. Monstrant splenius
duos musculos
B. B. Duos complexos: secundum
par Ves. Col. & Fallop. capiti
& cervici commune, eam par-
tem quam Vesalius huius mu-
sculi quartam facit. Fall. octa-
vum capitis musculum nomi-
nat.
C. C. Duos levatores Onoplatae,
id est, quartum par scapulae.
D. D. Duos sacrolumbos, id est,
quintum par thoracis
E. E. Duos semispinos, id est,
quartum par dorsi.
F. Partem sacri, nisi malis seor-
sim unum constituere.
G. G. Musculos intercostales ex-
ternos*

Ter-

Tertia Figura.




- A. A. A. A. Musculum monstrant complexum, id est, secundum capitis.
- B. Spinatum, id est, secundum extendentium colli & cervicis.
- C. Transversalem, id est, primum extendentium colli & cervicis.
Tertium par Columb. 3. dorsi Ves.
- D. Semispinatum Dorsi.
- E. E. Duos Rachitides, nisi illos malis revocare, ad sacrum aut spinatum notatum, B.
- F. F. F. Costas.

D

Quarta


Quarta Figura.



- A. A Monstrant musculos splenius. id est, primum capitis.*
B. B Secundum Musculum complexum secundum capitis.
C. Levatorem Omoplatæ quartum scapula.
D. Clavicula.
E. E. Serratum musculum posticum superiorem, id est, tertium thoracis.
F. F. Musculum Rhomboidem, id est, tertium scapula.
G. G Musculum latissimum, id est, tertium humeri seu brachij, qui Aniscalptor dicitur.

Quinta

Quinta Figura.



- A. *Monstrat splenium sinistrum id est, primum capitis.*
 B. B. *Secundum complexum, id est, secundum capitis.*
 C. *Levatorem Omoplate, id est, quartum scapulae.*
 D. *Claviculam.*
 E. *Musculum ossis hyoides.*
 F. *Musculum os aperientem, seu maxillam inferiorem deorsum moventem.*
 G. G. *Serratum posticum superiorem, id est, tertium thoracis.*
 H. *Sacrolumbum, id est, quintum thoracis.*
 I. *Musculum semispinatum, id est, quartum dorsi.*
 K. *Portionem Musculi sacri, id est, tertium dorsi.*
 L. L. *Serratum posticum inferiorem, id est, quartum thoracis.*
 M. *Deltoidem, id est, secundum humeri vel brachij qui Epomis etiam dicitur.*
 N. *Ossa costarum thoracis detecta.*


Sexta Figura.



- A. A Tertium par musculorum caput moventium.
B. B. C. C. Obliquos superiores & inferiores capitis.
D. D. Apophysin Mastoidem.
E. E. Levatores Omoplate per medium sectos.
F. F. Duos Scalenos, id est, secundum par musculorum flectentium collum & cervicem.
G. G. Duos spinatos, id est, secundum par musculorum extendentium collum & cervicem.
H. Sacrolumbarem, id est, quintum thoracis,

Prima

Prima census musculorum figura, cuius latus sinistrum hominem sua cute tectum depingit, dextrum verò musculos omnes à se invicem secretos exprimit.



- A. B. Musculi duo qui oculum claudunt & aperiunt.
 C. Temporalis.
 D. Zygoma.
 E. Musculus Masseter.
 F. Musculus superior in labrum infernum descendens.
 G. Musculus qui ad labrum superioris & nasi alas pergit.
 H. Musculus rotundus interna oris tunica abditus.
 I. Musculus inferior ad superius labrum ascendens
 K. Musculus infernum labrum movens.
 L. Musculus infernam maxillam diducens.
 M. Musculus Mastoideus.
 N. Levator Omopla-
 ta

O. Clavicula.

D 3

P. Musculus

- P. *Musculus subclavius.*
 Q. *Serratus minor anticus.*
 R. *Origo musculi pectoralis à sterno.*
 S. *Musculus pectoralis supercostalis.*
 T. *Deltoides.*
 V. *Biceps seu cubiti flexor primus.*
 X. *Brachialis cubiti etiam flexor secundus.*
 Y. *Appendix seu productio precedentis musculi, qua & cubiti eiusdem flexionem iuvat.*
 Z. *Pronator manus longus.*

- A. *A Carpi flexores.*
 B. *Digiti flexor superior sive primus.*
 C. *Digiti flexor profundus sive secundus.*
 D. *Palmaris.*
 E. F. G. *Musculi pollicis, qui primum & secundum os flectunt.*
 H. H. *Lumbrici.*
 I. *Musculus qui minimum digitum retrorsum à reliquis abducit.*
 K. *Annulus carpi, quem Vesalius sic nominat.*
 L. *Fissura quatuor dentium musculi digitorum flexoris superioris, qua tendines profundi ascendunt ad tertiam digitorum articulationem.*
 M. *Tendines profundi.*
 N. *Serratus maior secretus, dilatando thoraci inserviens.*
 O. *Obliquus descendens abdominis.*
 P. *Transversus abdominis.*
 Q. *Rectus.*
 R. *Umbilicus cum linea alba.*
 S. *Unus succenturiatorum musculorum, qui ab osse pubis in recti caput ascendit.*

T. *Obliquus*


T. *Obliquus ascendens.*
V. *Membranosus femoris.*
X. *Rectus femoris.*
T. T. *Longissimus sutorius dictus.*
Z. Z. *Duo Vasti.*

1. 2. 3. *Triceps descendens ab osse pubis intus. in os femoris 4. pa-
tella genu. 5. os tibia. 6. portio muscoli gemelli.
7. portio solei. 8. Tibia posterior & internus. 9. 10.
pedis flexores. 11. digitum extendentes.*

Secun-



Secundus Census musculorum figura, quæ latere sinistro hominem depingit, sua item pelle tectum, dextro verò reliquos totius corporis musculos exprimit.



- A. Os occipitis nudū.
- B. Splenius musculus in latus sinistrum resupinatus.
- C. Musculus complexus.
- D. Musculus spinatus.
- E. Musculus obliquus ascendens ex Spina secunda vertebra ad apophysim transversam vertebrae.
- F. Musculus obliquus ascendens à commemorata apophysim transversa ad occiput.
- G. Musculus rectus subiectum habens socium.
- H. H. Trapezium.
- I. Musculus Rhomboides Omoplate.
- K. Levator Omoplate.

L. Musculus instratus cavitati, quæ est supra omoplate spinam.

M. Musculus

- M. *Musculus deltoides ex spina Omoplata.*
 N. O. *Superscapularis superior, quem nonnulli duplicem faciunt.*
 P. *Superscapularis inferior.*
 Q. *Musculus latissimus, id est, tertius humeri seu brachij, qui aniscalptor vocatur.*
 R. S. *Duo musculi cubitum extendentes, quorum unus brevis, alter longus.*
 T. *Portio Brachiae flectentis, qui inter flectentes alias secundus est.*
 V. *Origo musculi primi longissimi manus supinatoris, vel ὠλέκρον seu tuber cubiti.*
 X. *Os cubiti.*
 Y. Y. *Portio duorum musculorum carpi flexorum.*
 Z. *Musculus digitum extendens, & unus ex carpi tensoribus biceps.*

- A. *Secundus carpi extendens.*
 B. B. *Abductor pollicis.*
 C. *Pollicis tensor.*
 D. *Annulus seu ligamentum tendinum.*
 E. *Serratus superior & posticus.*
 F. *Sacro-lumbus.*
 G. H. *Semispinatus.*
 I. *Serratus posticus inferior.*
 K. *Musculus lumbaris seu triangularis.*
 L. *Primus & crassior narium musculus, resupinatus in latus sinistram.*
 M. *Secundus narium musculus.*
 N. *Tertius & minimus narium musculus.*
 O. O. O. O. *Quadrigemi quatuor secundum nonnullos.*

E

P. Obtus.

P. *Obturator internus, id est, circumagentium secundum femur.*

Q. *Obturator externus, id est, Circumagentium primus femur.*

R. *Magnus Trochanter.*

S. *Vastus externus, id est, secundus extendentium tibiae.*

T. *Primus tibiae flectentium.*

V. *Secundus.*

X. *Tertius.*

Y. *Maxima pars tricipitis.*

A. *A Gemelli.*

B. *Soleus.*

1. *Thema pedis.*

2. *Digitum flexor parvus.*

Laus DEO.



de ut aliud videtur. fuit enim regis de fronte
Præmissio est in videri et gontibet. Rele
fuit de fuit et ego p omni omnibus placeo. Re
iudice quod in velle est f. qd' multib. et f. p.

iii. fuit Dupli m. d. e. m. m.

It. itatibus mei est. fuit et ego xpi. In velle
autem res fuit. qd' per vna memorat. est
et fuit huiusmodi velle. p. v. p. m. m. t. t. t. t.
Solo autem res fuit. qd' omni vni caput xpi.
est caput. it. mulieris. et caput velle xpi. et
omni. et. p. l. et. m. velle. et. p. p. t.
Autem caput fuit. Omnis et mulier. omni. et.


It. itatibus non velle. caput. Autem caput fuit.

Præmissio est enim et fuit. It. itatibus si non
velle. mulier. et. velle. et. velle. caput. fuit. fuit.
mulier. et. mulier. et. mulier. et. mulier. et. mulier. et.

It. itatibus non velle. velle. caput. fuit. fuit.
magis est et. fuit. velle. et. fuit. et. fuit. et. fuit. et.


Præmissio est enim et. velle. mulier. et. mulier. et.
velle. et. fuit. non est. velle. velle. velle. mulier. et.
fuit. et. fuit. velle. fuit. velle. mulier. et.

It. itatibus huiusmodi fuit. velle. velle. velle. velle.
velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle.
velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle. velle.



B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Farbkarte #13

17

Anatomicarum
 ATIO XVI.
 De
U B U S.
 Quam
 . M. A.
 RÆSIDIO
NOBLOCHII,
 Fr.; Med. & Phil.D.
bergensium Academia
ndam suscipiet
Bohemus
 nus Austriac.
mb. horis & loco notis.
): (S
 BERG AE,
 s per Iohan. Gorman.
 17 CVII.

